



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Acta Synodalia Osnabrvgensis Ecclesiae, Ab Anno Christi
MDCXXVIII.**

Brogberen, Johannes

Coloniae Agrippinae, 1657

De statu Religiosorum. 27

urn:nbn:de:hbz:466:1-14298

Sifrid.
faciunt. 4.

de septem Sacramentis, inter alia statuta sua editum, quod incipit, Statuimus ut Baptismus honorabiliter celebretur, &c. in omni sua forma, pro instructione simplicium Clericorum, qualiter in administratione eorundem Sacramentorum se habere debeant, volumus & præcipimus observari.

XXVI. *Quod Plebanis non denegetur Chrisma vel Oleum sacrum.*

Statuimus etiam, ut nullis Plebanis Chrisma vel Oleum sacrum, ab his qui hæc administrare solent, occasione cujusvis petitionis Cathedralici seu Synodatici non soluti, denegetur vel subtrahatur: cum necessarium sit, in Vigilia Paschæ & aliis temporibus, pro renovatione fontis Baptismatis, hæc in Ecclesiis haberi: sed ad solutionem prædictorum, dicti Plebani, si necesse fuerit, viis aliis compellantur, ne Parochianis, ex alieno delicto, Sacramenta prædicta, quæ gratis dari debent, indebite subtrahantur.

XXVII. *De statu Religiosorum.*

Item statuimus, ut Religiosi, Ordinis B. Benedicti Abbatis, in crastino Exaltationis sanctæ Crucis, omni anno celebrent Concilia sua in Civitatibus Cathedralibus, & in Monasteriis sui Ordinis, si qua sunt in eisdem; aliàs in vicino, in aliqua Ecclesia dictæ Civitatis, quam ad hoc viderint sibi aptam. Ad quod Concilium Abbates singulorum Monasteriorum, quilibet eorum cum duobus Monachis, veniant; & habeant inter se duos Superiores Abbates Ordinis sui dictæ Diocesis, qui procurent ibidem legi Regulam B. Benedicti, & Provinciale Concilium bonæ memoriæ Domini Conradi Coloniensis Archiepiscopi Prædecessoris Nostri super statu & Regulari disciplina dicti Ordinis, per ipsum olim observatum. Quod quidem Concilium sic incipit:

In Nomine Domini, Amen. Conradus Dei gratia sanctæ Coloniensis Ecclesiæ Archiepiscopus: Saluti & bono statui omnium, cujuscunque professionis seu Ordinis, sed Nostrorum domesticorum maxime, debitores existentes in Domino, sicut in Nostra visitatione negotium informationis & correctionis de Clericis per statuta Canonica expedivimus competenter, ita de Monachis satagentes id ipsum suo modo, quo competens fuerit, expedire: in primis statuimus, quod omnium Monasteriorum nigri habitus Monachi Ordinis S. Benedicti, Divinum Officium in cantando & legendo, secundum quod Regula ejusdem S. Benedicti præcipit, exequantur: & sic finit, Datum & pronunciatum Coloniæ quarto Idus Martii, Anno Domini 1260. Quæ etiam statuta sunt ab aliis Prædecesso-

ribus Nostris de Observantia Regulæ, ibidem legantur; & si qua pro Monasteriorum dicti Ordinis statu, & correctione fratrum rebellium, ac Divini cultus ordinatione, ordinanda sunt, ordinentur; & quæ ibidem definita secundum eorum Regulam fuerint, observentur. Si qui vero Monachi rebelles fuerint, nec per Abbates corrigi possent, illos Nobis vel loci Dioecesano volumus præsentari.

XXVIII. *Item de Monachis & Monialibus.*

Si qui etiam Monachi vel sanctimoniales Sbeatorum Benedicti & Augustini Ordinum, præter Superioris licentiam, Bona mobilia apud se vel apud alios in deposito, negociationis aut alia de causa, habuerint, illa suo Superiori & Conventui resignent, & eisdem ad cautelam quolibet anno intra quindenam ante festum Paschæ intiment, specificent, revelent & demonstrent, & ad manus ejusdem Superioris Abbatis, in præsentia Conventus, resignent penitus atque tradant Monachi & Moniales ejusdem. Contrarium facientes, seu qui Bona hujusmodi dolo deserint possidere, excommunicentur & puniantur secundum inde statuta. Et quicumque alii utriusque sexus homines, præfata Bona sub quovis nomine sub se habuerint, tales, nisi eadem Bona intra mensem, simili modo ad manus Superioris ejusdem, Monachi vel Moniales reportent & resignent, Excommunicationis volumus sententiam incurere eo facto.

Idem de eisdem.

Item præcipimus & statuimus, ut Monachi & moniales, in Civitatibus atque villis, absque Religionis habitu non discurrant: nec ullus Monachus seu monialis in pluribus Monasteriis, quam in uno, Dignitates, Personatus seu Officia & Præbendam obtineat: sed, recepta secunda Dignitate, Personatu, Officio cum Præbenda, Collator primæ Dignitatis, Personatus, Officii & Præbendæ prioris, eam seu eas alii conferat intra tempus Juris: nec Monachis vel monialibus prædictis, tempore absentiae suæ, fructus cedant suarum Præbendarum: quia sic viderentur aliquid proprii possidere. Sed Monachis, ad studendum aptis, de suorum Superiorum providentia poterit de necessitatibus provideri.

Item adhuc de eisdem.

Item statuendo prohibemus, ne in aliquo Monasterio Monachorum vel Monialium, cujuscunque conditionis vel Regulæ existant, in receptione vel admissione Monachi seu sanctimonialis ad ipsum Ordinem, pecunia exigatur, vel pro receptione talis personæ ad Religionem, pacta, conditiones aut conventiones de pecunia vel alia re temporali ipsi Religiosi faciant, quovis nomine vel colore ad